

Cartulaire de Marmoutier pour le Vendômois, Nr. 77

Nosse debebitis, si qui eritis posteri nostri Maioris scilicet huius habitatores Monasterii Sancti Martini, Hainricum quendam de Vindocino, fratrem Odonis decani, donasse Sancto Martino et nobis sub regimine agentibus domni abbatis Alberti unam aream molendini, in Ledo fluvio, in loco qui molina dicitur sitam, reddentem censem XII denarios Guismando de Vindocino ad nativitatem Sancti Johannis Baptiste, donasse vero eam solidam et quietam sub testimonio istorum quorum nomina hec sunt: Mainardus hospitalarius – Arembertus vicarius - Fulco monachus noster tunc prior – Morinus cellararius de Vindocino – Ebroinus clericus filius Guidonis pratarii.